De Morte Somnoque consanguineis.

Quamquam divinus sacrorum, quae sequimur, auctor, uti Paulus vere et graviter monet in altera ad Timoth. epist. I, 10, mortis loco beatam immortalitatem doctrina sua in lucem protulit, ut qui sequerentur ipsum, inde praesidia firmissima ad tranquille beateque vivendum peterent: etiamnunc tamen haud pauci inveniuntur, in quorum animis horrenda, quae ex aetate barbara profecta est, mortis imago vanusque, qui inde oritur et alitur, ejus metus inhaereant. Qua quidem in re recentiori praestitisse videtur antiqua aetas; suavem enim imaginem ab antiquis poetis et artificibus nobis propositam habemus tamquam gratissimum timoris lenimen ac solatium. M o r s i i s e s t c o n s a n g u i n e u s S o m n i. De hac imagine, cui Jesus ipse assentiri videtur,[1]) vel post Lessingium[2]) Herderumque,[3]) qui, neglectis poetis, de artificum operibus potissimum egerunt, uberius disputare operae pretium fore puto.

Mors propter brevitatem vitae numquam longe abest; imminet quotidie propter incertos casus, diraeque ejus necessitati excelsissima ac ima sunt obnoxia. Praeterea alii gravi morbo consumuntur, aut morte vel praematura vel inhonesta exstinguuntur; aliis ipse animi discessus a corpore non sine magno dolore est: alios denique illud angit atque excruciat, quod ab omnibus iis, quibus vivi delectabantur, discedunt in loca ignota et inexplorata. Haec et alia ejusmodi, quae cum mortem antecedant, vel cum ea conjuncta sint, licet in malis habendam esse probare videantur, minime tamen morti ipsi tribuenda sunt, quae Epicharmi sententia est, quam Cicero Tusc. Qq. I. cap. 15. his verbis refert: *Emori nolo, sed me esse mortuum nihil aestumo.* Inopi potius linguae nostrae hoc vitio vertendum est, quae varias istas, quae sub voce *mortis* subjici possint, sententias, ejus causas dico et vias mortuique statum, quae quidem prorsus diversa sunt, uno eodemque vocabulo significat. Veteres quidem linguae hac in re recentioribus praestare hisque copiosiores esse videntur. Poetae enim antiquissimi Graeci et ex his Homerus notiones istas, quas nos uno mortis vocabulo comprehendimus, accuratius definientes et distinguentes, singulas singulis vocibus denotasse videntur. Q u a e p r i u s r e c e n s e n d a e s u n t, quo facilius intelligi possit, quo sensu Θάνατος Somni consanguineus dictus sit.

---

1) Cf. Matth. IX. 24. Marc. V. 39. Luc. VIII. 52. Joh. XI. 11.

2) Cf. Lessing: wie die Alten den Tod gebildet? Sämmtl. Werke. Berl. 1826 3ter Thl.

3) Cf. Herder: wie die Alten den Tod gebildet? Sämmtl. W. Stuttg. u. Tüb. 1830. Zur schönen Lit. und Kunst, Th. 19.

Sub voce mortis primum d i r a m o r i e n d i n e c e s s i t a s intelligenda est, quae personae specie induta, Homero Graecisque dicebatur Μοῖρα, Ἀνάγκη, Orph. Arg. 140., ἡ εἱμαρμένη, ἡ πεπρωμένη, Αἶσα, πότμος θανάτου, Latinis vero Fatum, Necessitas leti, Hor. Od. I, 3. 32. 33. Hanc moriendi necessitatem scite explanat Seneca Consolat. ad Marc. XX: *Habebit quisque, quantum illi dies proximus adscripsit. Ex illo, quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est accessitque fato propior: et illi ipsi, qui adjiciebantur adolescentiae anni, vitae detrahebantur*; de Brevit. vit. VII.: *Quid est novi, hominem mori, cujus tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est*; Epist. XXIV.: *Quotidie morimur, quotidie enim demitur pars vitae, et nunc quoque, cum crescimus, vita decrescit*; denique Consol. ad Marc. XX.: *Agunt opus suum fata, nobis sensum nostrae necis auferunt, quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitae nomine latet.* — Haec sententia sub voce Μοῖρα latet, de qua Homerus Il. VI.:

Μοῖραν δ' οὔτινα φημὶ πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν

et Isocrates ad Demonicum:

τὸ μὲν γὰρ τελευτῆσαι πάντως ἡ πεπρωμένη κατέκρινεν.

Commutatis vero notionibus vocabulisque factum est, ut invicta haec Μοίρας vis ipsi morti tribueretur. Θάνατος inde dicitur ἀήττητος, et Mors Horatio Od. II. 14. 6: *indomita*. Quare et Ἀΐδης est ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος Il. IX. 158, et νηλεής, δυςπειθής, uti saepius apud Graecos audit. Neque sacris averruncis h. e. precibus et sacrificiis, quae pro avertenda re molesta diis fiunt, retardari posse mortem, testatur Aeschylus fr. Niob. ap. Stob. CXIX.:

Μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ
οὔτ' ἄν τι θύων, οὔτ' ἐπισπένδων νάοις.
Οὐ βωμός ἐςτιν, οὐδὲ παιωνίζεται,
μόνου δὲ πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.

Huc etiam spectat Solonis ep. XIII. 9, 10. (Anal. Br. I. 70.) Οὐδ' ἂν ἄποινα διδοὺς θάνατον φύγοι, praeterea Pind. Isthm. VI. 59.: θνάσκομεν γὰρ ὁμῶς ἅπαντες. δαίμων (Μοῖρα) δ' ἄϊσος. θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα.[1]) — Quod proprie Μοίρας est, poetae his locis mortis vocabulo denotant, fatalem dico moriendi necessitatem.

Praeterea κῆρες, Parcae, ad hanc Fati notionem in poetarum carminibus proxime accedunt, quamquam aliae partes eaeque prorsus diversae ab antiquissima aetate iis datae sunt, cum, quas nos eodem mortis vocabulo appellamus, l e t i c a u s a s significent p r o p i u s i n s t a n t e s, saepe quidem n a t u r a s u a v i o l e n t a s, s e m p e r v e r o e f f e c t u a c e r b a s. Herderus[2]) apte

1) Cf. praeterea Prop. II. 21, 58. Ovid. Met. X. 33. Horat. Od. II. 3. 23 sqq. III. 1. 14. sqq. I. 28, 15.

2) l. c. p. 208.

eos appellat: Die Todesboten, die ereilenden, tödtlichen Verhängnisse. Earum imaginem vividam quidem, at horrendam ab Hesiodo et Homero descriptam habemus, Scut. Herc. 156 sqq. his verbis:

— — — ἐν δ' ὀλοὴ Κὴρ,
Ἄλλον ζωὸν ἔχουσα νεούτατον, ἄλλον ἄουτον
Ἄλλον τεθνειῶτα, κατὰ μόθον ἕλκε ποδοῖιν
Εἷμα δ' ἔχ' ἀμφ' ὤμοισι δαφοίνεον αἵματι φωτῶν
Δεινὸν δερκομένη, καναχῇσί τε βεβριθυῖα —

iisdemque fere verbis Il. XVIII. 535. sqq. Atrociori etiam atque foediori aspectu apud eundem Hesiodum inveniuntur in Scut. Herc. 248. sqq. Neque aliter quam a poetis, ab auctore arcae Cypseli κῆρα fictam esse, Pausanias memoriae prodidit V, 19: Τοῦ Πολυνείκους δὲ ὄπισθεν ἕστηκεν (sc. κὴρ) ὀδόντας τε ἔχουσα οὐδὲν ἡμερωτέρους θηρίου, καὶ οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσίν ἐπικαμπεῖς οἱ ὄνυχες. ἐπίγραμμα δὲ ἐπ' αὐτῇ εἶναι φασὶ κῆρα.[1])

His autem locis κῆρες non eas causas significant, quibus omnes homines promiscue occumbunt; sed earum notio ad eas restringitur, quibus, qui in acie dimicant, alii aliis, at omnino acerbis et violentis occumbunt. Quae quidem earum notio, quia teterrima, eadem est antiquissima, nata profecto tempore, ab omni humanitatis sensu alieno, cui foedissima quaeque victum in hostem licita videbantur. Mitiorem sane, utpote aetate seriori profectam, τῶν κηρῶν imaginem exhibet Mimnermus (Anal. Br. I.) Eleg. II. 5. Sunt duae, quarum altera τέλος γήραος, altera mortem adducere dicitur. His verbis altera, quam sustinent, pars continetur; denotant enim causas mortis naturales, et has quidem acerbas, haud tamen violentas. Attribuuntur iis, qui haud impetu hostili, neque in pugna decertantes, sed sua morte moriuntur.

Praeterea morti inest notio discessus ab iis, quae sunt bona in vita; migrationis in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt, obscuras et incognitas. Quam cum poetae, tum artifices, alii aliis imaginibus declarant, v. c. raptu Orci, migratione in aedes vel regnum Hadis.[2])

Denique mors significat mortui statum atque conditionem, quietem corporis exsanguis. Haec respiciens antiquitas Mortem Somnumque consanguineos fecit.

Hae mortis notiones inter se prorsus diversae ideoque ab antiquissima quidem aetate accuratius distinctae nec iisdem vocibus et imaginibus descriptae,

---

1) Minus recte Kuhnius hic κῆρα explicat „mortem fatalem," rectius Suidas, cui est θανατηφόρος μοῖρα, nec θάνατος πεπρωμένος.

2) Cf. Herder l. c. p. 5. Siebenkees Archaeol.

sequenti tamen tempore non solum ipsae, sed etiam solemnia earum vocabula sunt permixta. Valet hoc de Graecis pariter ac de Romanis. Sunt enim, quibus Romani, ut mente ac cogitatione, sic oratione notiones mortis acriter distinxisse videantur. Aliam enim *leti*, aliam *mortis* vim atque potestatem fuisse, docent haec Petronii:

Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibusque armata Megaera,
Letumque Insidiaeque, et lurida Mortis imago.

Quid autem sit, quo differant mors et letum, dubium videri potest. Sunt Spencii[1]: »*The Roman poëts sometimes make a distinction between* „letum“ »*and* „mors,“ *which the poverty of our language will not allow us to ex*»*press, and which it is even difficult enough to conceive. Perhaps, they mean* »*by* „letum“ *that general principle or source of mortality, which they sup*»*posed to have its proper residence in hell; and by* „mors“ *or* „mortes“ »(*for they had several of them*) *the immediate cause of each particular in*»*stance of mortality on our earth.*« In aliam sententiam discessit Lessingius[2]), cui letum Graecorum κηρί, mors vero θανάτῳ respondisse videtur. Excitat Statii Theb. IX. 280.:

mille modis leti miseros mors una fatigat —

ubi causae, quibus variis innumerisque occumbimus, a morte, quae est una omnibusque eadem, distinctae videntur.[3])

Jam vero discrimine hoc interposito, removetur ac dissolvitur, quod suavi huic de fraterna Somni Mortisque necessitudine commento objici potest. Qui enim fieri potuit, ut veteres eos pro consanguineis haberent, cum eorum alter tam durus atque acerbus iis visus sit, ut non solum ejus nomen pronuntiare religiosum esset,[4]) sed etiam, quod ipsa prima θανάτου littera iis invisa erat,[5]) huic vocabulum bene ominatum supponerent φθόνον.[6]) — Quid quod poetae atrocissimum vultum habitumque ei dant, eumque sub imaginibus exhibent, quibus nec horribilius quid est nec tetrius. — Jam Homero Θάνατος et Κῆρες aut Μοῖρα conjuncti pugnantibus graves manus injicere dicuntur. Il. XVI. 853. XXI. 565, 566. — In Euripidis Alceste, praeterquam quod Θάνατος superciliis crinibusque nigris praeditus, et atra veste indutus tristem ac horren-

1) Polymet. p. 261.
2) loc. cit. p. 135.
3) Cf. Doederlein Syn. III. p. 175. Ramshorn Syn. II. p. 167.
4) Cf. Meurs. de Funere. c. I. Gronov. Thes. vol. II. p. 1086 sqq.
5) V. Cit. ap. Gor. inscr. T. I. p. 84.
6) Gorii inscr. T. I. p. 157. II. pag. 53.

dum aspectum habet, reginae crines abscissurus,[1]) ferro armatus est v. 76, 77. — Apud Horatium *„mors lurida, pallida“* (Od. I. 4, 13.) *„atris circumvolat alis“* Sat. II. 1, 58., nec morte quid est, quod magis pertimescendum ei videatur. Apud Horatium Theb. VIII 377,:

— — — Stygiis emissa tenebris
Mors fruitur coelo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu

et VIII. 308.:

Praecipuos annis animisque cruento ungue notat.

Apud Silium Italic. II. 548,:

Mors graditur vasto pandens cava guttura rictu
Caesuroque inhians populo —

et apud Senecam (Herc. fur.) „mors avidis pallida dentibus“ (Oed. 164.) „avidos oris hiatus pandit.“

Horrendae hae et aliae ejusmodi Mortis imagines, quae apud poetas saepissime inveniuntur, nonne aperte pugnare videntur cum altera illa, qua suavissimus Somni consanguineus dicitur? — Nequaquam. Quaelibet enim atrocitas, quae his locis Θανάτῳ universe tributa est, bene ei convenit, quatenus est vel Μοῖρα vel κήρ vel significat discessum e vita et migrationem in Orcum, minime vero quatenus mortui statum ac conditionem declarat. Homeri enim Θάνατον καὶ Κῆρα, vel Θάνατον καὶ Μοῖραν si, ut par est, ita explicueris ut significet Θάνατον, quatenus est vel Μοῖρα vel Κήρ, aut, Homero ipso praeeunte, Κῆρας θανάτοιο Il. II. 302. et Μοῖραν θανάτου vel πότμον θανάτου, non est, quod miremur, cur numinibus his letiferis atrocissima quaeque attributa sint — Alceste Euripidea vitam suam pro Admeto Orco promiserat. Tempus aderat: poscitur a morte Admetus, Alceste moritur pro eo. Θάνατος igitur hîc est saevus Orci nuntius, inferorum sacerdos, isque habitu et ingenio atroci, propterea quod subest sententia discessus ab hujus vitae amoenitatibus et migrationis in Orcum. — Neque magis miremur, quod et Horatius mortem atris coloribus pinxit. Tritum enim est atque ab eo saepius inculcatum de fruenda vita praeceptum. Vitam

---

1) Ductum hoc est a rebus sacris. Solemni enim ritu victimae immolandae pili e fronte evellebantur atque in ignem conjiciebantur, quod est κατάρχεσθαι. Tum victima rite sacrata dicebatur deo, cui sacra apparabantur. Jam cum homines diis inferis ἀνειμμένοι haberentur s. Orci victimae, satis proclive erat, cum re etiam ipsos sacrificandi ritus ad eos traducere. Ut igitur moriturus tanquam victima rite sacrata caderet, opus erat crinium summorum abscissione. Quod officium ut ab aliis poetis aliis numinibus injungitur [cf. Virg. Aen. IV. 704, 698. Horat. Od. I. 28, 18. Stat. Silv. II. 1, 147.], ita ab Euripide Θανάτῳ. Cf. Mitscherl. ad Horat. l. l. et Heyn. ad Virg. l. l.

hilarius transigentem iisque, quas hora porrigit, commodis ac deliciis fruentem, Horatius vere censet sapere. Mors vero, cujus fatalis necessitas ad omnes pertinet, cum hanc ipsam vitae usuram, quae nobis concessa est, paucorum admodum dierum summula circumscripserit, nos omnibus iis, quae sunt bona in vita, exuit. Horatio igitur significat nunc Μοῖραν, diram leti Necessitatem, nunc discessum ex jucunda hac vita. Utraque vero ex parte dira ac funesta videtur, et huic suae naturae convenienter depingenda erat. — Statius denique et Silius sub tetra, quam exhibent, Mortis imagine intelligi volunt Κῆρας, h. e. causas leti, cui decertantes in proelio obnoxii sunt, quae cum violentae et acerbae sint, tristibus ac horrendis imaginibus recte adumbrantur. — Hinc efficitur, ut poetae, cum tristem, atrocem et immanem finxerint, Θανάτῳ vel Μοίρας vel Κηρῶν vel decessus ex hac vita notionem supposuerint, et imaginibus significaverint, quae Somni consanguineo non conveniant.

Est tamen Hesiodi locus, Theog. 755. sqq., qui hanc nostram orationem refutare videtur. Agit is de Somno Morteque, Nocte matre editis. Utriusque consanguinei naturam describens, alterum dicit v. 761. „*terras mariaque quietum percurrere* et *placidum hominibus*"; mortis vero imaginem sequentibus his versibus exhibet:

τοῦ δὲ σιδηρέη μὲν κραδίη, χάλκεον δέ οἱ ἦτορ
Νηλεὲς ἐν στήθεσσιν. ἔχει δ' ὃν πρῶτα λάβῃσιν
Ἀνθρώπων. ἐχθρὸς δὲ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Haud liquet, quo jure Θάνατος, cum hominibus tum diis invisus, cui ferreum cor pectusque aeneum et crudele est, Somnusque hic tranquillus hominibusque placidus dicantur consanguinei, cum sint toto genere diversi. Causa est, quod hac Mortis imagine haud quidem mortui statum ac conditionem poeta vult intelligi, sed aut moriendi necessitatem, aut acerbas violentasque leti causas, aut denique decessum ex hac vita. Θάνατος igitur hoc loco consanguineus Somni est propterea, quod eadem matre editi sunt. Ad has natales Hesiodus unice respexisse, nec vero pro fratribus ἀλληγορικῶς eos habuisse videtur.

Jam vero quibusdam locis, ubi hoc nomine inveniuntur, allatis exponamus, quo sensu Θάνατος poetis dicatur Somni consanguineus, denique, quomodo in hoc commentum inciderint poetae.

Insignis est Homeri locus Il. XVI. 672 et 682. Circa Sarpedonis corpus, telis transfixum, sanguine, pulvere et squalore obsitum, v. 638 sqq. atrox dimicatio oritur. Achivi tandem spolia ei detrahunt v. 663. Nunc demum Apollo, mortui corpus, aqua lotum, unctum vestibusque splendidis involutum, a Jove jubetur tradere

Ὕπνῳ καὶ Θανάτῳ διδυμάοσιν, οἵ ῥά μιν ὦκα
θήσουσ' ἐν Λυκίης εὐρείης πίονι δήμῳ,

quod enixe exsequitur versibus sqq. Consanguineos eos dicit etiam Orpheus h. LXXXIV. 8.:

Αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς Λήθης Θανάτου τε

nec non Virgilius, Aen. VI.: „*Tum consanguineus leti sopor*"; porro Seneca, qui in Herc. fur. Somnum sic invocat: „*frater durae languide Mortis*" et Stat. Theb. V. 197.

Quo sensu Θάνατος dicatur Somni consanguineus, docet Homerus. Qui cum multorum obitum narret, sub varia specie Θάνατον aciem pererrare facit aliosque aliter rapere; nec tamen unquam hoc in negotio Somni consanguineum appellat. Sarpedonis vero caesi corpus exsangue ubi lotum unctumque et vestibus coelestibus indutum sit, Morti Somnoque traditur, qui in patriam id deducant. Nunc demum dicuntur consanguinei. Ad Sarpedonem, qui, cum Κῆρες oculos corpusque ejus solvissent, τῇ Μοίρᾳ justa persolverat, accedit Θάνατος, qui igitur tunc demum Somni consanguineus dicitur, ubi mortui corpus, animi dissolutione jam facta, jacet exsangue, placidum, sine motu ac spiritu, efferendum in locum, quo quiescat. Tum vero Mors quietum mortui statum ac conditionem significat, ejusque imago ac simulacrum Somnus est. Quod idem docet Gorgias Leontinus, qui, morte jam imminente, viribus deficiens, sensim in somnum delapsus jacebat. Et si quis ipsum ex familiaribus interrogaret, quid ageret, respondebat: ἤδη με ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. Quare non nisi ἀλληγορικῶς dicuntur fratres. Quietis sunt signa. Vita defunctum in gratissimae quietis patriam deducunt prohibentque, quo minus quid turbet placide quiescentem. Quamobrem Deorum Manium, qui quidem defunctorum quietem tuentnr, nomen ab Latinis iis inditum est,[1]) proximeque accedunt ad deos tutelares [2])

Quibus autem rationibus antiquitas ducta sit, ut pro consanguineis eos haberet, satis perspicuum est.

Idem est aspectus dormientis et mortui. Uterque jacet tranquillus, placidus et immotus. Utriusque vires remissae et fractae, utriusque artus, antea intenti et astricti, explicati nunc relaxati et resoluti sunt. Corpus sopiti videtur mortuum, mortui somno sopitum esse. Hac utriusque similitudine et vicinia ducti Somni imaginem ad mortem transtulerunt.

---

1) Cf. Gorii inscr. T. I. p. 382.

2) Gorii inscr. T. I. p. 193, 194. Fabretti Inscr. p. 72 — 74. Saggi dell' academia di Cortona. T. VI. p. 131.

Uterque praeterea eadem natura, ut ita dicam, interna iis visus est. Dormiens quibuscunque curis vitaeque miseriis levatus placidissima quiete fruitur, cui et vita perfunctus indulgere videtur.

Videamus primum de Somno, cui has tanquam gratissimam quietem largientis partes poetae dederunt. Ovidio Met. XI. 623 dicitur *quies rerum*, et Statius inter aulae Somni custodes. *Quietem* refert Theb. X. 89. sqq. Est vero duplex, quam Somnus largitur, quies; pertinet enim vel ad corpus vel ad animum.

Quod ad corpus attinet, nihil est, quo aegrius afficiatur, quam gravioribus laboribus, quibus cum vires ejus confectae sint, gravitate atque molestia quadam afficitur, quae ingrata est. In eo autem spectatur somni virtus, ut huic torpori, e lassitudine orto, jucunda quiete medeatur. Pergratas has Somni partes poetae primum eo descripserunt, quod eum laboribus finem imponere dicunt. Somnus apud Orph. h. LXXXV. 5. appellatur *κόπων ἡδεῖαν ἔχων ἀνάπαυσιν*, apud Athenaeum l. X. (Alexis) *βροτείων παυστὴρ πόνων*, et in Senecae Herc. fur. 1065 *domitor laborum*. Quod Silius Italicus scite declarat VII. 282.:

Cuncta per et terras et lati stagna profundi
Condiderat Somnus, positoque labore dierum
Pacem nocte datam mortalibus orbis agebat.

Corpus dein labore vacuum artusque fessos quieti dat. Est *λυσιμελής*, *membra solvens*, ut Homero Od. XXIII. 343.:

— — — *ὅτε οἱ γλυκὺς ὕπνος*
Λυσιμελὴς ἐπόρουσε, λύων μελεδήματα θυμοῦ[1])

Solutis membrorum vinculis Somni porro est, mentis motus fluctusque delenire. Sunt Tinionis apud Themistium (Stob. CXIX): Somnus *τῶν ἄλλων ἐπιθυμιῶν κρατεῖ, κἂν ὦσι σφοδρόταται*. Quare Senecae Herc. fur. 1066 est *requies animi*.

Ad has partes bene exsequendas Somnus nihil habet prius aut antiquius, quam ut gravissimas quascunque injurias et molestias, animum misere nonnunquam vexantes oblivioni det. Arctissimo igitur vinculo jam Orpheus eum Oblivioni junxit: est *Lethes consanguineus* h. LXXXIV. 8. Hanc imaginem, qua nihil est suavius et significantius, posterioris aetatis poetae secuti sunt. Somnus ipse Horatio Ep. XIV. 3. Virgilioque Georg. I. 78. *lethaeus* est, quo vocabulo arma quoque appellant, quibus ubi dicitur. Callimachus h. in Del. 235. *ληθαῖον πτερόν* ei tribuit; aqud Virgilium Aen. v. 854. *ramum, lethaeo rare madentem* manibus tenet, et Claudianus de bello Gild. 224 *frenis lethaeis* Noctis equos regere illum facit. Apud Statium Theb. X. 89. *Oblivia pigra* Somno amicissima et gratissi-

2) Cf. Od. XX. 56. Mosch. II. 2.

ma, ejus antrum custodiunt. Apud Ovidium denique Met. XI, 602 prope Somni aulam praeterfluit *rivus aquae Lethes.*

Hanc ejus virtutem, quam suavissimis his et similibus imaginibus poetae declaraverunt, alii multi disertis verbis explicaverunt. In Euripidis Bacch. 263 Bacchus

ὕπνον τε, λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν
δίδωσιν, οὐδ' ἐςτ' ἄλλο φάρμακον πόνων

Quod Plutarchus de Superstit. III. iisdem fere verbis declarat: *τὸν ὕπνον οἱ θεοὶ λήθην κακῶν ἔδοσαν ἡμῖν καὶ ἀνάπαυσιν.* Apud Statium Theb. I. 342 Somnus *pronus*

— — per aëra nutat,
grata laboratae referens oblivia vitae.

Maximam vero commendationem Somnus habet, quod etiam curas oblivioni dat. Hae nimirum somno opprimuntur ideoque Somnus poetis est curarum exactor, qui hominibus angores eximit, eosque ex omni moestitia, quantacunque est, recreat. Hanc ejus virtutem respiciens Orpheus h. LXXXIV, 5 his verbis eum invocat:

Λυσιμέριμνε, κόπων ἡδεῖαν ἔχων ἀνάπαυσιν
καὶ πάσης λύπης ἱερὸν παραμύθιον ἔρδων

ut Homero Il. XXIII. 62 *λύων μελεδήματα θυμοῦ*, Ovidio Met. X. 368 *curasque et corpora*, et Senecae Agam. 176 *pectora solvisse* dicitur. Eodem Senecae loco Somnus ipse *curarum domitor*, apud Ovidium Met. XI. 623 ab Iride *pax animi, quem cura fugit*, et Pont. I. 2, 43 *requies medicinaque publica curae* vocatur.

Similis est Mortis ratio, quam antiquissimi jam poetae praedicant, quod quibuscunque vitae malis levatos aeterna quiete nos frui jubeat, vehementioribusque fluctibus ac procellis misere vexatos in portum tranquillum deducat. Quae quidem virtus ei non tribuitur nisi ubi mortui statum ac conditionem significat. Propterea quod mortuis nullus accedit labor, haec ipsorum conditio Sophocli apud Stob. CXIX beata videtur:

τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προςγίνεται

neque minus Euripidi apud eundem, propterea quod defuncti nihil aegrotant nec mala experiuntur.

τίς δ' οἶδεν, εἰ ζῆν τοῦθ', ὃ κέκληται θανεῖν,
τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐςτι; πλὴν ὅμως βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν, οὐδὲ κέκτηνται κακά.

Huc etiam spectant, quae Stobaeo teste sunt Astydamantis:

χαῖρ'· εἰ τὸ χαίρειν ἐστί που κάτω χθονός.
δοκῶ δέ· ποῦ γὰρ μή ἐστι λυπεῖσθαι βίῳ,
ἔστιν τὸ χαίρειν τῶν κακῶν λελασμένον.

Aliis imaginibus mortem aerumnarum requiem esse eamque cuncta mortalium mala dissolvere, neque curae neque miseriis ultra locum esse, alii poetae declaraverunt. Sic tragicis Graecorum poetis tanquam unicum in malis remedium dicebatur ἰατρός, ut Aeschylo:

Ὦ θάνατε, — — — —
μόνος εἶσὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν ἰατρὸς,
ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῖς.

et Sophocli:

ἀλλ' ἔσθ' ὁ θάνατος λοῖσθος ἰατρὸς νόσων.

Cf. Valken. ad Eurip. Hipp. 1372. Euripidi eodem sensu est malorum remedium:

— — — — τὸ γὰρ θανεῖν
κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται.

Aliis vero est portus, ut Sotadi ap. Stob. l. l.

πάντων λιμὴν τῶν μερόπων ὁ θανατός ἐςτιν

quem secutus est Seneca in Agam. 589. Sunt verba chori:

Heu quam dulce malum mortalibus additum,
Vitae dirus amor, cum pateat malis
Effugium, et miseros libera mors vocet,
Portus aeterna placidus quiete.

Portum igitur paratum nobis et perfugium putant, quo qui licet per scopulos et vortices passis velis pervecti sint, beati praedicandi videntur Euripidi in Cresph.

ἔδει γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά.
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

In omnibus his locis mors denotat „*mortui statum*“ ideoque somno simillimus est. Quod ad tempus quidem attinet, aliquid interest inter utrumque, cum alter brevi, alter aeternae quieti nos det. Quare Plutarchus Consolat. ad Apollon. XVII τὸν ὕπνον appellat τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια· προμύησις γὰρ ὄντως ἐστὶ τοῦ θανάτου ὁ ὕπνος. — Hac igitur utriusque similitudine, quae cuique ultro se offert, poetae ducti sunt, ut consanguineos eos dicerent. Hoc Athenagoras de Restitut. mort. his verbis testatur: παρ' ἣν αἰτίαν

οἶμαι τινὲς ἀδελφὸν τοῦ θανάτου τὸν ὕπνον ὀνομάζουσιν, οὐχ' ὡς ἐκ τῶν αὐτῶν προγόνων ἢ πατέρων φύντας γενεαλογοῦντες, ἀλλ' ὡς τῶν ὁμοίων παθῶν τοῖς τε θανοῦσι καὶ τοῖς ὑπνοῦσιν ἐγγινομένων, ἕνεκά γε τῆς ἠρεμίας καὶ τοῦ μηδενὸς ἐπαισθάνεσθαι τῶν παρόντων ἢ γινομένων, μᾶλλον καὶ μηδὲ τοῦ εἶναι καὶ τῆς ἰδίας ζωῆς. Quod idem docet Scholion ad Il. XVI, 672: τελευτώντων γὰρ ἐκλείπει πάντως ἡ ψυχή, καθευδόντων δὲ συστέλλεται ἡ δύναμις ψυχῆς.

Quo factum est, ut consanguineorum alterum alterius nomine vocarent. Mortis igitur severitatem et tristitiam ut suaviori nomine mitigarent, ut „*Noctis Tenebrarumque*" Hom. Il. IV. 461, V. 310, ita potissimum „*Somni*" vel „*Soporis*" nomen ipsi indiderunt εὐφημίᾳ usi. Sophocles in Oed. Colon. vocabulo τοῦ αἰενύπνου Θάνατον notat. Homero est χάλκεος ὕπνος Il. XI. 241, et poetis post Homerum ὕπνος αἰώνιος. Apud Moschum III. 109 habemus μακρὸν, ἀτέρμονα, νήγρετον ὕπνον, Lazarusque in Evangelio, Nonno paraphraste, ὕπνον ἀναγκαῖον καὶ ἀμεμφέα εὕδει. Graecos secuti sunt Latini. Horatius mortem appellat „*perpetuum soporem*" Carm. I. 24, 5. et „*longum somnum*" III. 11, 38 cf. Sil. V. 529. Apud Virgilium pro morte occurrit „*somnus ferreus*" Aen. X. 745. aut „*lethaeus*", apud Lucan. VI. „*longae Somnus Lethes*" et apud Ovidium „*longa quiescendi tempora*". Silio Ital. VII. 635 mors est „*somnus niger*", Statio Silv. V. 3, 260. "*falsus*", Valerio Flacco III. 179, „*frigidus*", Virgilio Aen. X. 745 „*dura quies.*"

Denique ut de artificibus dicam, et hi eadem, qua poetae, imagine usi sunt, easdemque his numinibus partes dederunt. Aperte hoc ostendunt epitaphia cum Graeca, in quibus vita defunctus „*dormire, somno sopitus esse*" dicitur[1]), tum Romana, v.c. *Somno perpetuali, aeternali, Quieti aeternae*[2]), aut simpliciter: *Somno*[3]), multo magis vero ipsae consanguineorum imagines. Summa inter se similitudine ficti sunt, eodem habitu, eadem figura iisdemque fere armis. Ut docerent, quod Cyrus moriturus, Xenophonte teste Paed. VIII. 7, filiis dixisse fertur: ἐννοήσατε καὶ, ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδὲν ἐστὶν ὕπνου, simillimos eos exhibuerunt, „*nullique*", ut utamur Statii verbis Theb. X, ubi ipsius Somni dormitorium Somni Mortisque imagine ornatum esse dicit,

Nullique ea tristis imago. —

Quid si artifices, — quod quidem Herdero placet[4]), Mortis genio supposuerint hunc alterum, qui Mortem haud repraesentaret, sed prohiberet tantum, quo minus istius cogitatio animum intuentis subiret, Somnum dico. Quid si vel duobus

1) Cf. Callim. Palat. VII. 451. Meleager ibid. n. 419. cf. 173, 197, 290. Append. n. 310.
2) Cf. Callim. Epigr. 14, 21. Gorii inscr. I. p. 384. Bellori Luc. p. 9.
3) Cf. Zoëga Tab. XV. Boissard. Topogr. P. III. p. 48. Winkelm. Alleg. p. 76.
4) Z. a. D. 6ter Br. S. 215 fgg.

geniis hisque sibi invicem simillimis fictis[1]), alter eorum congruentiae aequalitatisque causa additus, uterque vero Somnum haud quidem brevem illum, sed aeternum denotaret, ita ut artifices eadem, qua poetae, εὐφημίᾳ usi sint. Quod ingeniose satis et acute hac de re Herderus disputavit, discere qui cupit, adeat ipsum. Nobis quidem persuasum est, ab artificibus easdem partes his geniis datas esse, quae Homerus iis tribuit. Illis quoque sunt signa quietis, custodes urnae vel sepulcri vel domus exilis Plutoniae.[2]) Accedenti acclamare videntur: „Noli turbare placide hîc quiescentem! „Consopitus est somno! In quietis patriam deductum tuemur!“ —

1) Cf. Lessingii T. III. et IV.
2) Cf. Lessingii Tab. IV.